DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HAEMORRHAGIIS SPONTANEIS IN GENERE,

QUAM

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS

D. FRIDERICI BERNARDI ALBINI,

A. L. M. PHILOSOPHIÆ ET MED. DOCTORIS, ANATOMES ET CHIRURGIÆ IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu*, & *Nobilissimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,


Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis rite ac legitime consequendis,

Eruditorum Examini submittit

JACOBUS VAN WAGENINGEN,

Dordracensis.

Ad diem 7. Augusti 1754. hora locoque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud NICOLAUM MOENS, 1754.

NOBILISSIMO GRAVISSIMO

atque

DOCTISSIMO

VIRO

D. HENRICO VAN CONVENT,

MED. DOCT.


ET PRACTICO, EXPERTISSIMO, REIPUBLICAE DORDRACENAE SENATORI AC JUDICI

&c. &c.

FAUTORI SUO HONORATISSIMO AD EXTREMUM VITAE HALITUM COLENDO ATQUE VENERANDO.

Hanc dissertationem inauguralem venerabundus devovet & consecrat

AUCTOR.



DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE HAEMORRHAGIIS SPONTANEIS IN GENERE,

§. I.

Quum diu haesisset mihi aqua, quemnam morbum pro specimine aliquo eligerem, non ut aliquid novi in lucem proferrem, sed tantum ut legibus academicis satisfacerem; tandem arrisit mihi illa materia scilicet de Haemorrhagiis spontaneis, quia mihi videtur multorum morborum chronicorum esse causa; si in principio hujus morbi mala instituatur curatio, post se trahit dira mala non facile superanda, quia non solum respiciendum est medico ad tollendam haemorrhagiam sub paroxysmo, sed etiam ad dispositionem extra paroxysmum.

§. II.

Ut ordinem quendam teneam, ab nominis explicatione incipere cogar. αἱμοῤῥαγία est vocabulum graecum quod deri-

vatur ab αἷμα ſanguis & ῥήγνυμι erumpo alii ab αἷμα ſanguis & ῥέω fluo. generaliter quamcumque ſanguinis effuſionem extra corpus denotat; atque per ſponte non intelligo ut Chimicis ſolitum eſt, quando fiunt mutationes in corpore, aere, colore, aquaque, dum haec tria in ſuo ſtatu naturali ſunt, nec per artem aliquid mutatur, ſed intelligo per ſponte, quando haemorrhagiae producuntur a cauſis internis, quaſi a natura, ab anima dicit Stahlius, ſed non recte; quia tunc in noſtram poteſtatem redigimus illum morbum, quod quotidiana experientia contrarium nos docet.

§. III.

Itaque per haemorhagias ſpontaneas mente comprehendo, quando ſanguinis effuſio fit, non a cauſis violentis externis applicatis, ſed a cauſis internis, quae ſolidis in partibus determinatos producunt motus, quorum ope ſanguis majori in copia, ad unam corporis noſtri determinatur partem, ita ut ſaepe fiat eruptio, ullo ſine dolore & anima quaſi inſcia ſit hujus excretionis.

§. IV.

Loca in quibus haemorrhagiae fiunt, ſunt diverſa & dividi poſſunt in ſueta & in magis inſueta. Sueta loca ſunt nares, pulmones, aeſophagus, ventriculus, renes, vaſa haemorrhoidalia, uterus, vaginaque.

Magis inſueta ſunt per oculorum cantos, gingivas, dentes, os, mammas, umbilicum, penem ac inguinem, etiam per manum, pedem, talum, cutimque ut obſervationibus Stalp. van der Wiel & aliorum conſtat.

§. V.

Ratione aetatis dicendum erit, quod in pueris & adoleſcentibus maxime narium haemorrhagiae, incipiunt ſaepe ab anno quarto

quarto ad annum vigesimum, in juvenibus haemoptises ab vigesimo ad trigesimum quintum annum, at in consistente aetate haemorrhoides & vomitus cruentus ad annum quadragesimum, in aetate provectiori mictus cruentus saepe observantur, quod etiam ab Hippocrate observatum & descriptum est in aphorismis 27. 29. 30. sect. 3.

§. VI.

Inter scriptores hac de re multum disputatum est, scilicet, an sanguis ex venis, vel arteriis ruptis veniat, & adhuc latere videtur: Etmullerus in tomo 3. in capite de haemorrhagiis in genere probare studet, arterias rumpi & dicit, *patet ex eo quod omnes haemorrhagiae V. G. narium fiant stillatim guttatimque, id quod liquidissime patet venire ex arteriolis nunc dilatatis, nunc subsidentibus, non autem ex venis, ratione pulsus* atque paulo post in eodem paragrapho dicit etiam *patere in artereotomiis, in quibus etiam subsaltim tantum &, repetitis vicibus pro pulsus ratione sanguis erumpit.*

Sed non sufficere videntur mihi haec argumenta ad hoc probandum.

1mo. quia sanguis ex nare guttatim effluit, non demonstrat hoc ex arteriis guttatim fluere, potest sanguis aequaliter fluere ex vasis & in nare colligi & sic guttatim effluere.

2°. quod pateret ex arteriotomiis, non videtur adeo clare demonstratum, quaestio est an non sit differentia inter illas arterias magnas respectu aliarum, in quibus arteriotomia instituatur & in illis, quae rumpuntur in haemorrhagiis a causis internis, idest an sanguis per oscillationes vasorum in vasa majora eodem modo propellatur, quam in minora.

3°. Omnibus chirurgicis est notum, quam dificulter minores arteriae consolidentur & praeterea videmus, quando congestiones fiunt ad caput, quod omnes venae tumescunt, arteriae non adeo apparent, Praeterea si nunc V. G. ex haemorrhoidibus sumamus exemplum, tunc videmus quod constat per observationes, sanguinem ex venis venire, apud Vesalium legitur

exemplum viri ex haemorrhoidibus mortui, venam haemorrhoidalem pollicis capacem, & ſanguine turgidam continentem, ſunt etiam qui ex ſanguinis colore probare ſtudent, an ex venis, vel ex arteriis veniat, ſi E. G. ſanguis non eſt floridus, ſed nigricans, tunc dicunt ex venis; ſed argumenta ab una & ab altera parte videntur mihi non ſatis clara, ut de iis judicem, itaque in medio relinquam, tantum dicam forte uno in caſu rumpi venas, in altero, arterias.

§. VII.

Subjecta haemorrhagiis obnoxia, ſunt maxime plethorici & truncati; corporum nativitas etiam multum confert, quae a parentibus in liberos transfertur, quae corporis habitum mollioris, ſpangioſioris, atque texturae tenerioris habent, praeſertim quae florent aetate ſana & florida conſtitutione & ingenio excitato, in genere omnia ſubjecta quae multis animi perturbationibus obnoxia ſunt, ut irae, gaudio, terrori, moerori &c. etiam quae ſpirituoſis, aromaticisque abutuntur; intempeſtivus quoque balneorum, ſudoriferorum, purgantiumque uſus etiam iis accenſeri meretur.

§. VIII.

Hiſce praemiſſis haemorrhagiarum cauſas agreſſus ſum, quae ſunt vel proximae vel remotae, atque primo agam de cauſa proxima dein de remotis, ſed quia ſaepe inter ſe controverſantur medici de cauſae proximae definitione, dicam quid mente comprehendo per cauſam proximam.

Cauſa proxima eſt talis, quando illa ponitur, ponitur directe, morbus, integra & ſufficiens ſemper, vocatur etiam cauſa efficiens vel formalis.

Multi medici confundunt cauſam materialem cum cauſa efficiente, cum tamen magna detur differentia.

Cauſa materialis ponenda eſt inter remotas, nil producit mali, niſi in actum deducatur a cauſa efficiente.

Multi

Multi veteres medici atque etiam recentiores pro causa proxima haemorrhagiarum agnoverunt plethoram, ab illis nulla distinctio est facta inter causam materialem & efficientem, sed si haec distinctio sit observanda, credo non difficile esse demonstratu, plethoram nil esse aliud in haemorrhagiis quam causam materialem, & causam efficientem admodum esse disstinctam ab illa materiali.

§. IX.

Videamus nunc an demonstrare possimus, plehoram causam proximam non esse, & saltem esse causam materialem hujus morbi.

Incipiam a foeminis, quando E. G. menses non rite fluunt, venae sectio a medico institui potest, ut sic auferatur plethora, tunc & tolli deberet effectus, sed quid observatur? extremorum refrigerium, perspiratio est impedita, alvus saepe est stipata, dolor circa partes genitales, lumborum dolor &c. omnia illa symptomata manent, si nunc plethora esset causa, tunc quando venae sectio instituitur, mitigari deberent illa symptomata, sed quid praeterea observantur, quando vaenae sectio instituitur, saepe menses fluere incipiunt, ut patet ex Ephimer. nat. curios. cent 6. ubi foemina maximis hypochondriacis doloribus cruciata sibi venam aperiri curat, statim subsecuta est eruptio mensium, & tunc omnia symptomata mitigantur, sed si nunc a sola plethora dependeat cur menses fluunt, cur non omnia symptomata mitigantur a sola venae sectione.

In fasciculo observationum Corn. Trioen pag. 49. legitur.

Ab hinc aliquot annis effraenatae uterini fluxus evacuationis memorabile observavi exemplum in muliere quadam quae per sedecim annos post puerperium continua laboraverat, eadem adeo, ut viribus omnimodo exhausta, ematiata ac enervis restiterit.

Nemo credere potest per sedecim annos post puerperium plethoram esse causam hujus excretionis: sic etiam juvenem

novi, qui in tempore aeſtivo ſaepe laborat haemorrhagia narium, inſtituta eſt venae ſectio & multoties eſt repetita ullo ſine fructu atque debilitas tanta erat ob amiſſam ſanguinis copiam, ut medicus non inſtituere amplius auderet venae ſectionem, tamen non compeſcitur haemorrhagia, an nunc in illo homine dicere poſſumus plethoram eſſe cauſam? ſi bene advertimus, animus concedendi non eſt.

Sic Clar. Winterus praeceptor meus cariſſimus, Narrat caſum foeminae, quae adeo haemorrhoidibus erat obnoxia ut intra octo dies ultra ſeptem vel octo libras ſanguinis evacuaretur, paucis tunc poſt diebus fluxere menſtrua, quare nunc menſes fluunt in illa foemina, an hoc fit quia plethora adeſt?

Sed afferam nunc alia argumenta, in quibus nullum indicium eſſe poteſt plethorae E. G. ſunt puellae quae admodum ſunt debiles, pallent, ambulare non poſſunt, niſi magna cum fatigatione, non niſi cruda abſurdaque ſaepe edunt ut ſunt calx, terra, creta atque ſimilia & licet alimentis bonis utantur, vires adeo ſunt debiles, ut nulla digeſtio bona fieri poſſit; in hiſce tamen obſervatur menſtruatio, licet in minori ſit quantitate, in illis nunc non dicere poſſumus plethoram adeſſe.

Etiam in mulieribus phthiſicis, febre, & venae ſectionibus ſaepe repetitis debilitatis, nutritio fieri non poteſt itaque & ſanguificatio imminuitur, debilitantur quam maxime illi aegri, ita ſaepe ut pedibus ſeſe ſuſtinere nequeant, & tamen menſes fluere obſervatum eſt, an hoc poſſimus plethorae adſcribere, ſed ſi argumenta haec non ſufficere videantur afferam alia.

Supponamus nunc plethoram eſſe cauſam haemorrhagiarum proximam, tunc illa ſanguinis copia, quae magis quam par eſt, aequalis eſſe debet diſtributa per noſtrum corpus, ſed hoc non obtinet, ſanguis fertur ad unum alterumve locum corporis noſtri, unde haec determinatio? illi, qui plethoram pro cauſa proxima agnoverunt, dicunt hoc quaerendum eſſe in ſtructura organica E. G. in laxitate, in colore majori, in preſſio-

pressione & in varia distributione vasorum & multa sunt alia; praeterea dicunt hanc structuram obtinere in naribus, pulmone, renibus, vasis haemorrhoidalibus, utero; Concedere possum structuram organicam aliquid facere, sed non, quod a sola plethora & structura organica totum negotium dependeat.

1°. In foemina menstruante fit illa excretio & cessat sponte, structura manet, cur non effluere pergit? si Dicas, Plethoram nunc esse sublatam, tamen vasa manent aperta & praeterea ex argumentis ante propositis, patet licet plethora sit ablata, excretionem sanguinis manere, quid nunc causae est, ut sistatur? ex illa hypothesi explicare non possum.

Patet etiam in hominibus, qui assueti sunt haemorrhagiae narium, quasi habituali factae, quae quando consueta quantitas est excreta, illico cessat.

2°. In illis locis non solum observatur haemorrhagia, in quibus suspicio nascitur de structura organica, quae appellantur loca sueta, sed etiam in illis locis fit, ubi nulla suspicio esse potest de structura & dicuntur magis insueta ut §. 4. videri potest.

Afferam nunc observationes in quibus clare patet a structura organica non dependere.

In observationibus Starp. van der Wiel in Libro 1mo. observ. 19. legitur casus *filiae cujusdam, cum paulo cessant menstrua, irascitur sanguis guttatim lacrymarum instar per genas volvitur ex inferiorum palpebrarum oris proveniens.*

An nunc dicere possimus hoc quaerendum esse in structura palpebrarum? minime credo, si illa structura antea jam adfuisset, an ponendum sit nobis, uno in momento illam structuram adeo esse mutatam ut apta sit ad haemorrhagiam producendam?

Sed adhuc unum exemplum afferam, antequam hac de re subsistam, in eodem observatore, observat. 79. legitur.

Adriana gubernatrix jam prope quadragenaria, sed corpore macra, tenuisque, nec bile tantum abundans, sed & iracundior, anno 1644 ita offensa erat animo, quo tempore fluxu laborabat

menstruo ut prae maxima mentis perturbatione e papillis prorumpens reliquum corpus proluerit sanguis.

In his duobus exemplis propositis uno in momento sanguis ab utero ad papillas & palpebras determinatur; an nunc hoc phenomenon ex structura vel ex plethora explicandum sit? non video: sed haec sufficere credo, ad probandum, plethoram non esse causam proximam haemorrhagiarum, multa adhuc alia B. L. exempla apud eundem & alios observatores legere potes.

§. X.

Sic nunc ostendi plethoram non esse haemorrhagianum causam proximam, dein illam causam in structura organica non quaerendam esse, quia in omni corporis nostri parte fiunt haemorrhagiae, licet a natura loca satis sint debilia, licet sint fortiora & saepe fiunt uno in momento ut videmus ab ira, itaque quaerenda est illa causa, quae facit ut sanguis, licet in moderata quantitate adsit, magis determinetur ad illa, quam ad alia loca; sed ostendi illam causam non quaerendam esse in structura organica, neque in sanguinis quantitate, itaque nil superest quam ut examinemus principium vitale male affectum vulgo dictum spasmum.

§. XI.

Haemorrhagiarum causa proxima mihi videtur esse spasmus, atque concipio quod fiunt haemorrhagiae spontaneae hoc modo, vasa Aliqua in parte spasmodice afficiuntur, ita ut liber sanguinis transitus prohibeatur per venas & cum vicina in parte sanguis accumuletur, nascitur congestio, per congestionem vasa expanduntur, & si haec expansio accrescat, ruptura sequitur.

§. XII.

§. XII.

1°. nunc ostendam, hanc sententiam non esse aliquid novi sed quod praestantissimi viri, qui hac de re scripserunt adhaerent parti meae.

2o. probare cogar ex observationibus a fidelissimis observatoribus desumptis.

1°. multi auctores mihi assentire videntur in hac re, V. G. Hoffmannus in tomo 2°. in capite de haemorrhagiis in genere §. 10, dicit sententiam veterum non valere, & praeterea dicit *sed potius ab extra ab intus converso motu atque inaequalitate circulationis sanguinis oriri: id quod efficitur, quando certae partes, praes rtim extremae & a corde valde remotae, intensiori fibrarum structura ac contractione ita angustantur, ut sanguis per venas refluere nequeat, sed harum aucta systole majori copia & impetu ad alia loca eaque inconvenientia transferatur.*

Quod per intensiorem fibrarum stricturam nobis intelligendi sint spasmi, neminem dubitare credo, itaque patet, spasmum pro causa proxima agnotum fuisse ab Hoffmanno per Distinctionem adhibitam in §. 8vo. quam & eam adhibuit Clar. Stahlius scilicet in materialem & instrumentalem causam; dicit enim in pathologia sua in membro. 2do. in capite de vero habitu caussali ad haemorrhagias producendum §. 3.

Causam haemorrhagiarum tam materialem quam occasionalem, exceptis violentis haemorrhagiis, esse simplicius plethoram, consentiunt fere omnes antiquiores. praeterea in §. 4. dicit plethoram totum negotium non exhaurire & hoc patere ex multis exemplis plethoricorum, qui per plures annos inmunes vixerunt & nil mali ex inde contraxerunt, nisi aliae accedant nunc in eodem Capite §. 19. dicit.

Causae instrumentales ad producendum ipsum actum haemorrhagiae sunt motus tonici auctiores, quibus sanguis tum ad illam regionem aliquando latius, tum magis privatim ad immediatum lo-

cum exitus ita constringitur, ut ibi distentione vasorum & denique orificiorum extremorum, per motum talem expressionis, exitus ita obtineatur.

Non erit negandum, quod per motum tonicum, nobis spasmus sit intelligendus. De hac sententia etiam legere potes L. B. Etmullerum in tomo 3°. in capite de haemorrhagiis in genere atque etiam Nenterum in Pathologia.

En nunc patet hanc sententiam non esse novam atque convenire cum praestantissimis in hac arte viris.

§. XIV.

2um. erat, etiam constare per observationes.

Observatum est quod omnes animi affectiones producere possint haemorrhagias.

Hoc videmus in hominibus haemorrhagias passis, in quibus a levi animi perturbatione prorumpunt, etiam in foeminis quando menses instant, saepe per animi perturbationes erumpunt.

In Pathologia Georg. Philippi Nenteri in Sectione 2a. in capite 1mo. legitur exemplum *juvenis 24 annorum qui sanguineo-cholericus a parentibus plethoricis natus, diaeta utitur laudabili & cibos bonae digestionis cum vino, magna in copia quotidie ingerit, ac vitam simul agit sedentariam: redditur hinc summe plethoricus: tandem corpus maxime motu exercens & gravissima ira excandescens subito magnam sanguinis floridi & spumescentis copiam ore absque vomitu rejicit & magnum vitae periculum incurrrit.*

En exemplum in quo juvenis admodum erat plethoricus, sed ex plethora nil mali sentit, sed irascebatur, quid tunc observatur? sanguis magis ad interiora determinatur & haemorrhagia nascitur, quid nunc ira uno in momento producere potest, nil aliud credo quam spasmum.

Nunc afferam exempla in quibus nullum indicium est plethorae atque tamen a sola ira producitur haemorrhagia.

Ex

Ex Stalp. van der Wiel in §. 9. allegavi duo exempla de foeminis menstrua passis a sola ira, unam per palpebras, alteram per papillas uno in momento erumpere haemorrhagiam, quid nunc causae est cur sanguis ab utero ad palpebras & papillas determinatur, an aliquis dubitare possit? quin ab ira producantur spasmi & quin hi spasmi producant congestiones.

In Joseph. Lansonio in tomo 2do obs. 219. *Menstruas purgationes per Oculos quovis mense veluti lacbrymas sanguineas excretas vidit* Remb. *Dodonaeus. ego vero fletum sanguineum in adolescente observavi, quoties cumque data causa ad fletum incitabatur, rubore insigni oculi turgebant & inde sanguineae guttulae, veluti cruoris rivus, exibant.*

En nunc duo exempla in quibus per minima vascula haemorrhagia fit, an hoc nunc fieri possit? nisi ad sit causa determinans & quidem causa quae illico venit & illico recedere, sed etiam manere potest, an nunc aliam afferre possimus causam quam spasmum? Exemplum etiam constat in introductione Georg. Phyl. Nenteri pag. 33. sed antequam casum narret, dicit *Nota mihi est vidua triginta & aliquot annorum, in qua manifestissime motus illi activi observari possunt.*

Haec alias langiori mensium fluxui obnoxia erat, cum vero hicque sensim imminutus fuerit, jam per integrum annum & quod excurrit, sentit dolorem spasmoticum in hypochondrio dextro, quem statim motus versus sinistrum & tandem ex hypochondrio versus anum cum titillatione molesta sequitur; Multa exempla apud eundem auctorem iuvenire potes.

Apud Joseph. Lansonium in libro 2do observ. 224. legitur exemplum *militis, obstructionibus viscerum obnoxii & febri mali moris correpti, medicam imploravit opem, cui, praemisso clystere, impositae fuere octo cucurbitae scarificatae, per quas non tantum magna sanguinis copia effluxit, sed pessima etiam secuta est haemorrhagia, quippe cruor enormiter dissolutus, totus per levia cucurbitularum foramina intra 24 boras effluxit, absque eo, quod ars nostra ei auxiliari potuerit, omnibus adstringentibus incassum adbibitis, sicque sensit per vulnera mortem.*

En nunc exemplum in quo homo moritur a cucurbitulis ſcarificatis, ex parvis enim vulnusculis ſanguis ad mortem uſque non fluxiſſet, ſi vaſa non ſpasmotice contraherentur & ſanguis ſaepe magno cum impetu erumperet, hoc non explicare poſſumus ſi non ſupponamus ſpaſmos.

Praeterea ſi nunc ad ſymptomata reſpiciamus quae haemorrhagias concomitantur, patet quod omnia ſint ſpaſmotica, perſpiratio eſt impedita, quia vaſa minima ſpasmotice contrahuntur, refrigerium extremorum adeſt, ob eandem rationem alvus eſt ſtipata, ſi nunc obſervemus morbos ſpasmoticos, inveniemus quod in illis aegris ſemper alvus non reſpondet, ſed ſi tollatur morbus, illico ſaepe alvus bene ſeſe habet. ſanguis ruit verſus interiora, urina ſecernitur tenuis, quod etiam obſervatur in hyſtericis, & multa ſunt alia quae differunt pro ut differunt partes, in quibus haemorrhagiae fiunt; ſi hae partes in oculos incurrant e. g. in haemorragia narium clare videre poſſumus ſanguinem verſus caput determinari ſaepe momento citius.

Si nunc reſpiciamus ad morbos acutos, in quibus medicus haemorrhagiam exſpectat, nil facit quam promovere criſin, ideſt quando ſigna ſe offerunt inſtantis haemorrhagiae; quare? inſtituere poteſt venae ſectionem atque ſic ſanguinis copiam minuere, ſed quia per experientiam didicit quod illa haemorrhagia a natura (ut ita dicam) producta melior ſit alia arte producta, nil facit quam promovere illam haemorrhagiam, ſed quid eſt ratio? videtur mihi haemorrhagia critica dicta teſtari de ſolidorum ſtatu, quia videmus quando haemorrhagia fit cum aegri levamine, ideſt quando omnia ſymptomata mitigantur, tunc dicit haemorrhagiam criticam eſſe bonam, ſed licet magna ſanguinis copia excernatur, ſi non ſit cum levamine aegri, dicitur mala. quare? ſanguinis copia minuitur, natura ſeſe exonerat ſponte? quia tunc ſpaſmi non ſolvuntur per haemorrhagiam & ſaepe eſt indicium, quando morbus per aliquod tempus jam duravit, gangraenam adeſſe, hinc credo haemorrhagiam non dare bonum ſignum in morbis acutis, quia ſanguis excernitur, nam hoc pro lu-

bitu

bitu facere poſſumus, ſed quia ſaepe per haemorrhagias ſolvuntur ſpaſmi.

Ex hiſce nunc concludo, ſpaſmum eſſe cauſam efficientem haemorrhagiarum, qua poſita ponitur immediate effectus & 2° plethoram eſſe cauſam materialem, licet nunc haec cauſa in corpore ante exiſtat vel a ſpasmis in alia parte generetur, per ſe non haemorrhagiam producit, niſi cauſa activa accedat, ideſt quando ſpasmi orientur, ſed quomodo hi ſpasmi afficiunt ſolida, adhuc latere videtur, haec ſatis de cauſa proxima, nunc de remotis.

§. XV.

Cauſae remotae ſunt variae atque diverſae, in duas claſſes dividam.

1ª Cauſarum remotarum claſſis erit, quae plethoram producere poſſunt, altera quae ſpasmum producere poſſunt.

§. XVI.

Cauſae, quae plethoram producere poſſunt, ſunt diaeta lauta, vita otioſa, ſomnus multus, animus ſedatus, in genere omnes cauſae, quae faciunt ut magna boni chyli & ſanguinis copia in corpore noſtro generetur, atque etiam omnes cauſae quae excretiones minuunt, conſuetudo ſanguinem mittendi ſive ſit naturalis, ſive artificialis, ut E. G. homines qui conſueti ſunt ſanguinem excernere, quotannis, bis, ter, quaterve, ſi haec excretio impediatur, oriuntur ſaepe multa mala, congeſtiones naſcuntur & vaſa (licet ſaepe ſanguinis quantitas adhuc ſit naturalis) adeo tenera ſunt ob deſuefactionem vehendi copiam naturalem, ut a naturali afficiantur ſtimulo & ſic plethoram ad vires intelligere poſſumus, non quia ſanguinis quantitas major eſt, ut maneret aequilibrium intra ſolidas & fluidas partes, ſed quia vaſa ſunt deſuefacta illi ſtimulo naturali, nascitur (ut ita dicam) quaſi diſtentionis impatientia vel irretismus, atque ex illo irretismo

congeſtiones ad unam alteram ve partem fiunt, dicitur tunc adeſſe diſpoſitio, ad haemorrhagias, licet vera plethora non adſit, atque hoc patet in puellis delicatiſſimis, pallent, corpus non movetur; digeſtio ſaepe eſt depravata, tamen a leviſſimo ſtimulo incidunt in haemorrhagiam E. G. menſes fluunt ſaepius quam par eſt, non ob plethoram veram, ſed quia vaſa ſunt deſuefacta vehendi copiam naturalem, econtrario videmus in foeminis robuſtiſſimis, quae multum excercent corpora, plethoricae ſaepe ſunt, ſed non inde in commodum patiuntur, quia vaſa ſunt robuſtiora & conſuefacta illi ſtimulo, inde etiam obſervatum eſt, illas foeminas minus ſanguinem excernere in menſtruatione ut Clar. Foreſtus ac Horſtius teſtantur Ruſticas mulieres multas absque fluxu ſanas degere vitam, etiam Braſſavolus in comm. ad aphor. Hippocratis 36. *Lib.* 5. *notae ſunt* inquit *hodie ruſticae, quibus nunquam menſes fluxerunt, quamvis ſanae degant & robuſtae ſint, ac quod mirum, foetus producant.*

§. XVII.

2ae. Claſſis ſunt omnes cauſae quae ſpasmum producere poſſunt.

Ut ſunt in genere omnes animi affectus, qui illico producunt ſpasmum ut antea dictum eſt: omnes excretiones naturales ſive artificiales impeditae ut E. G. foeces retentae in inteſtino recto haemorrhoides producere poſſunt: omnia acria ingeſta, quae infinita eſſe poſſunt E. G. Victus ex cibis alcaleſcentibus, aromaticis conditis, ſanguis fit acer, perdit ſuam blanditiem: ſaburram ventriculi, ſaepe eſt obſervatum, cauſam eſſe ſpasmorum, ita ut ſanguinis excretio nullo remedio compeſci poſſit niſi emetico; etiam vitanda, ſunt remedia ex aloe, helleboro atque aliis ſimilibus: omnes morbi protracti corpora diſponere poſſunt ad ſpasmum, ſi E. G. Venae Sectio ſaepe ſit inſtituta vel excretiones naturales ſint prohibitae, poſtea videmus, illa corpora maxime eſſe proclivia ad ſpasmos: etiam proclivia ſunt corpora cachectica ad ſpasmum:

mum: in genere omnes viscerum obſtructiones & omnes cauſae, quae obſtructiones poſſunt producere & quae circulationem inaequalem faciunt atque ſic producunt plethoram particularem, iis accedit vita ſedentaria, ſaepe a ſtagnatione oritur dilatatio, a dilatatione irritatio atque ſic producitur ſpasmus: in cauſa etiam eſſe poteſt materia arthritica vel podagrica ad inteſtina dilata.

§. XVIII.

En nunc memoravi aliquas remotas haemorrhagiarum cauſas, omnes enim recenſere nimis longum foret, nunc dicendum ſupereſt de effectibus, qui producuntur ab iſtis cauſis antequam ad curationem pergam, ut facere poſſimus ex illis prognoſin & diagnoſin & ſic cognoſcere totum decurſum hujus morbi.

§. XIX.

1mo. Itaque diſtinguendi ſunt effectus ante paroxysmum id eſt antequam ſanguis fluere incipiat vel antequam vaſorum ruptura ſit facta, licet cauſa efficiens vel ſpasmus jam adſit.

2o. In illis effectibus ſub paroxysmo, quando rupta jam ſunt vaſa.

Effectus ante paroxysmum ſunt vel communes omnibus haemorrhagiis in genere vel ſunt particulares cuique proprii, itaque ſeorſim tractabo.

§. XX.

Effectus ante paroxysmum communes omnibus, ſunt quando ſanguinis circulatio, perturbatur, in parte vicina ubi ſpasmus obtinet, id eſt ubi vaſa ſpasmotice contrahuntur, fiunt itaque ſic dictae congeſtiones, fit ſanguinis accumulatio, ab accumulatione vaſorum exſpanſio, ab exſpanſione oritur dolor, ſed in una parte magis quam in alia, quia non aeque ſenſiles ſunt omnes corporis noſtri partes, atque a ſanguinis ac-

cumulatione nascitur etiam ſtagnatio, a ſtagnatione obſtructio & ſi tunc nulla vaſorum ruptura fiat, naſcitur inflammatio atque omnes ejus ſequelae : Praeterea alvus eſt ſtipata, cutis eſt ſtricta, extremorum refrigerium obſervatur, pulſus eſt parvus, debilis, contractus, horror adeſt.

En nunc praecipui effectus haemorrhagiarum in genere ante paroxysmum : de effectibus cuique propriis nunc dicam, ſed tamen tantum recenſebo de haemorrhagiis, quae fiunt in locis ſuetis ſic dictis.

§. XXI.

Si ſanguis verſus caput congeritur, ut inde naſcatur *narium haemorrhagia* oriuntur vertigines, ſcotomiae, apoplexia ſaepe, ſi nulla eruptio fiat; pulſatio circa caput, collum & faciem, oculorum ſcintillae, capitis graviditas, aurium tinnitus, narium titillatio, obſervantur, lacrymae copioſae involuntariae ſaepe prorumpunt atque manuum tremor accedit.

In hoemoptoe pectorum preſſiones obſervantur, reſpiratio ſuſpirioſa, dolor ad ſcapulas atque in dorſo, anxietates magnae ad praecordia, ſed fere nullus dolor, borborygmi atque faucium titillatio, dolor tenſivus in hypochondrio ſiniſtro.

De *Vomitu cruento*, ſigna antecedentia non ſunt multa, praecipue ſunt, quod omnia ſigna, quae antecedunt haemoptoen, non in vomitu cruento obſerventur, atque ſi adſint, leviora ſunt, ſed dolor punctorius tenſivusque hypochondrii ſiniſtri ſaepe obſervatur.

De fluxu haemorrhoidali tantum in genere dicam dorſi atque lumborum dolorem adeſſe, crurum ſtuporem, oris fauciumue q ſiccitatem, urinam parcam atque pallidam ponderis ſenſum & podicis dolorem, imo ſaepe de borborhygmis queritur aeger.

Nunc dicendum ſupereſt de *Menſtruorum fluxu* ſymptomata vel ſigna non admodum ſunt clara, ut in aliis haemorrhagiis, quidem ſaepe quando pro prima vice erumpunt, ſed non ſequenti

ſequenti in tempore, itaque illa memorabo, quae ſaepe obſervantur, licet non ſemper, quia ſaepe tacite quaſi erumpunt.

Lumborum coxarumque dolor oritur, cum aeſtu atque gravitate harum partium, hinc ventris inflatio ſaepe ſequitur, ſicut & ad pudenda gravitas, mammae forariantur, crurum languor atque laſcitudo, ſub oculis circulus lividus, color faciei pallidus, urinae parcior fluxus, ad motum anhelitus, capitis dolor, nauſea, vomitus, inappetentia &c. ſuccedunt.

§. XXII.

Nunc abſolvi, quid animi habeam de effectibus antequam vaſorum ruptura eſt facta, 2°. reſtat de effectibus ſub paroxysmo, quia fere omnia ſymptomata mutantur, ſed quia idem ordo eſt mihi ſervandus. 1°. agam de effectibus ingenere atque 2°. de effectibus cuique haemorrhagiae propriis.

§. XXIII.

Si poſt vaſorum rupturam in genere ſanguini liber concilietur exitus, ſtatim omnia mitigantur ſymptomata atque etiam mutantur, ſanguinis accumulatio, dolores, expanſiones, ſtagnationes, obſtructiones minuuntur, cutis, quae antea erat ſtricta, nunc eſt laxa, tranſudat aeger, extremorum refrigerium abeſt, ſaepe naſcitur calor, pulſus qui antea erat parvus, debilis, contractus, nunc eſt acceleratus, durus, ſic ſaepe per haemorrhagiam ſolvuntur ſpasmi.

§. XXIV.

Dicendum nunc reſtat de ſymptomatibus in ſpecie ſub paroxysmo, ſed quia ſymptomata narium haemorrhagiae, haemorrhoidum atque menſtruorum fluxus ex ante dictis facile intelliguntur, tantum dicam de Hoemoptoe & de vomitu-

cruento ut ex effectibus unum ab altero clare distinguendum sit nobis.

Si *Hoemoptosis* sit vera, adest oppressio strepitusque pectoris, tussit atque de titillatione profunda queritur aeger, respiratio non est libera, sanguis est floridus atque spumosus aere mixtus saepe per intervalla rejicitur, sanguinis sapor est subdulcis salsusve.

Sed si ex *faucibus* vel *ventriculo* veniat sanguis, tunc faucium titillatio adest, non pectoris oppressio, respiratio est libera, sanguis est mixtus muco non aere.

§. XXV.

En recensui nunc haemorrhagiarum praecipuos effectus, de diagnosi in specie nil dicam, quia ex effectibus est quaerenda, sed antequam ad curationem pergam breviter aliquid addam de prognosi, licet etiam pro maxima parte ex effectibus ante paroxysmum sit quaerenda.

§. XXVI.

Prognosis in genere est, omnes haemorrhagias esse excretiones praeternaturales, praeter menses atque lochia; adeoque omnes periculosas, nisi tempestive supprimantur, sed minus sunt periculosae in subjectis plethoricis, truncatisve, vel assuefactis excretionibus & dum quasi habituales sunt factae, haemorrhagiae in illis non sunt sistendae, licet sanguis magna in copia excernatur, si aeger non admodum debilitetur atque non metus sit ut in cachexiam hydropemve incidat, quia non ferre potest aeger illam sanguinis copiam, si nunc prohibeatur excretio, saepe congestiones fiunt ad alia loca magis insueta & inde dira mala oriuntur.

Prognosis semper est mala, si corpora juniora afficiantur haemorrhagiis E. G. si juvenes passi sint narium haemorrhagias, puellae menstruationem ante ordinarium tempus, quia observatum est, hos juvenes in aetate consistente saepe laborasse

boraffe hoemoptoe : puellae quae ante ordinarium tempus laborant menfium fluxu, ficut hae ita juvenes qui laboraverunt in juventute narium haemorrhagia, habent corpora admodum fenfilia, proclivia ad omne morborum fpasmoticorum genus atque faepe non ad confiftentem aetatem veniunt.

§. XXVII.

In curatione indicationes primariae duplices funt, fcilicet curatoria atque praefervatoria ideft fub ipfo paroxysmo & extra paroxysmum.

Sub paroxysmo indicatio primaria eft ut fanguis fiftatur atque reftituatur aequalis circulatio.

Extra paroxysmum ut difpofitio ad haemorrhagias tollatur: hae duae indicationes fatis fiunt medicamentis externis atque internis.

Sub paroxysmo indicatio eft ut fanguis fiftatur, fi in immoderatam copiam effluat, ideft fi copia adeo fit magna ut aeger in vitae periculo verfetur, fi non fiftatur, aliter fibi eft relinquendus atque praecipue fi effluctio fit habitualis ut Laf. Riverius jam annotavit in *Lib.* 4. *Cap.* 7. de narium haemorrhagia.

Sic etiam fanguis, qui fine febre ex confuetudine fluit, cohibendus non eft: fed naturae arbitrio relinquendus, nifi immoderatior fluxerit: multi enim per hujusmodi haemorrhagias periodicas, à graviffimis morbis immunes fiunt, in quos earum fuppreffione incidere confueverunt.

Ratio ex hypothefi noftra eft clara, quia congeftiones manent & multoties videmus per haemorrhagias congeftiones folvi atque aequalem circulationem reftitui, fed fi haemorrhagia adeo fit immodica ut fiftenda fit, hoc fit medicamentis externis, internisque & quidem talibus, quae congeftum ferum & fanguinem partim a loco affecto abducunt atque revellunt, partim refolvunt atque in motum naturalem redigunt vafa.

Nunc 1°. de externis fub paroxysmo.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Externa funt varia atque multa.

1°. *De Venae Sectione* ad Scopum ut revellatur atque fanguinis quantitas minuatur, itaque minor fanguinis copia ad partem affectam vehatur, etiam conducit quod congeftio non adeo accrefcere posfit, quia in vafis liberis fanguinis copia minuta eft atque faepe per venae fectionem folvuntur fpasmi, egregium effectum praeftat etiam Venae Sectio in corporibus plethoricis five fit ad vafa five ad vires, & quod optimum remedium fit in haemorrhagiis fiftendis patet ex Galeno in Lib. de Sang. miffione cap. 11. dicit fe validas fanguinis fluxiones repente Venae Sectione fedaffe.

Sed in cachecticis atque debiliffimis corporibus, non adeo convenire videntur Venae Sectiones, & tamen illae indicationes in praxim reducendae funt ad hoc, ut revulfio fiat atque fanguinis copia minuatur in parte affecta, tunc *artuum ligaturae* faepe praeftantiffimum effectum efficiunt, non minuitur fanguinis copia atque tamen omnes effectus quos a Venae Sectione exfpectamus, eosdem ab illis ligaturis in fpe habemus, fed ligaturae adeo debent effe inftitutae ut aeger per aliquot horas ferre poffit, ne circulatio intercipiatur, in illis corporibus etiam *frictiones* conveniunt, fed circumfpectio adhibenda eft, ne per nimiam frictionem aeftus inducatur fanguini.

Pediluvia atque *balnea manuum* etiam conducunt, fed bene attendendum ne aqua fit calida fed tepida, fi aqua tepida fit, relaxantur vafa, fed fi caleat, aeftus inducitur fanguini, oriuntur fpasmi atque fic contrarium effectum edunt.

Clysmata etiam funt laudanda fed non acria adhibenda funt, quia ftimulantur inteftino atque fic novi nascuntur fpasmi, fed debent effe admodum blanda, tunc circulatio per abdomen libera redditur.

Cucurbitae a multis medicis laudantur, fed ufum affirmare non aufim, faltem fi adhibeantur, femper cum circumfpe-

ctione

ctione adhibendas consulo, quia in illis locis ubi applicatio fit, nascitur saepe inflammatio, agunt stimulando, haec corpora admodum sunt sensilia atque a levi stimulo afficiuntur, & per cucurbitulas magis stimulantur corpora atque sic saepe spasmi per totum corpus propagantur, ut patet ex Ephemendib. curios. cent. 9. obs. 8. haemorrhagiam lethalem ex scarificatione ortam esse.

§. XXIX.

Medicamenta externa ab auctoribus *Symphathetica* dicta sunt. 1°. *Tela aranearum* a Nicol. Chesneau in Lib. 3. in cap. 13. laudatur & tres observationes addit, in quibus bonum effectum edit, applicatur lumbis, pectini, fronti, pro ut differunt haemorrhagiae, hae telae debent cum aceto acerrimo in Sartagine frigi ut sic cataplasma inde fiat.

Lignum arboris fraxini, *silices*, *ferrum* aut *alia frigida*, si aeger in manu teneat, saepe sistunt haemorrhagiam, imo saepe *aqua frigida* in facie spersa vel nugi vel testibus applicata, haemorrhagia sistitur, sic *omnes animi affectus* hoc praestant.

Pulvis Sympatheticus a Clar. Wille laudatur, qui componitur ex Vitriolo romano per solem aestivum ad albedinem calcinato;

Saccus e Serico cui *bufo siccatus* includitur supra Scrobiculum cordis gestatus, saepe haemorrhagiam sistit.

Item *monilia* ex *lapide haematite* collo suspensa vel in manu gesta, de hoc lapide egregium effectum vidi in tribus personis laborantibus haemorrhagia, in quibus nullo modo sistebatur, medicus graviter agens, quod totum ab arte sine fructu evacuasset, tandem illo lapide applicato scrobiculo cordis vel in manu gesto, sistitur haemorrhagia in semi quadrante horae, sed lapide amoto, saepe sanguis iterum fluere incipit, sed hac qualitate non praeditus est lapis haematitis vulgaris, licet aliquid habere videatur de hac virtute.

A Riverio etiam laudatur *Gossypium* atramento infectum;

admotum fronti atque a multis laudantur *fimus porcinus asininusque*.

§. XXX.

Dantur etiam medicamenta *topica* quae vasorum ora dehiscentia occludunt, sed raro conveniunt, ut patebit quando agam de adstringentibus internis, nunc tantum recensebo.

Solutio vitrioli in aqua facta etiam *aqua* ex infusione *vitrioli albi* cum *bolo* & *camphora* parata, a Clar. Wille cum successu sunt usurpata, ab eodem auctore laudatur *Crocus martis* ad summam rubedinem calcinatus.

Cauterium actuale etiam in usum est vocatum, sed quod malum proferre potest patet ex Benjamin la Motth tom 2. *de homine qui ab infantia ad annum vigesimum quartum ex pollice manus patiebatur haemorrhagiam singulis mensibus ad libram mediam, pertaesus tandem hujus mali, adusserat pollicis partem ferro candente & non patitur hanc haemorrhagiam verum post tres menses incidit in hoemoptoen, variis tunc remediis a phthisi praeservatur sed postea in colicam incidit.* Sed clare patet, si adhibendum sit, cum circumspectione esse peragendum.

§. XXXI.

Medicamenta interna sub paroxysmo in genere sunt antispasmotica, sed non omnia aeque tuta sunt: quod patet in opio, ab omnibus medicis *opium* pro maximo antispasmodico medicamento habetur, tamen non convenire hic videtur, quia per usum opii, quidem tolluntur spasmi, sed vita, vel irritabilitas sic dicta etiam minuitur, saepe in debilissimis corporibus nascitur congestio, vita languet, si detur opium quid fit, vita jam languens adhuc minuitur, praeterea tollo quidem spasmum, sed efficio, quod vasa non possint reagere in fluida, quia innepta reddo ad motum naturalem producendum, itaque sanguinis accumulatio manet in illa parte, nascuntur

cuntur ſtaſes, inde inflammationes, ſuppurationes, gangraenaque itaque opium non videtur convenire, niſi in hominibus robuſtiſſimis adhuc juvenibus, in ſenibus, foeminisque nunquam convenire poteſt, niſi caſus ſit diſperatus, tunc applicare poſſumus, ſed ſemper parva in doſi.

Sed loco opii adhibere poſſumus *Semen Hyoſcbiami* quod a multis medicis in haemorrhagiis laudatur, ſed de hoc poſtea quando agam de pulvere Styptico Heurnii.

Syr. Papav. Alb. uncia una convenit cum grano uno opii, vim narcoticam patet minorem eſſe atque ideo videtur tutior opio.

Syr. Papav. Errat. adhuc minorem vim narcoticam poſſidet, itaque adhuc eſt tutior, ſed majori in quantitate ingerendus eſt.

§. XXXII.

Pergamus nunc ad medicamenta quae non irritabilitatem tollunt, ſed quae videntur tollere ſpasmos ideſt reſtituere tonum naturalem vaſorum, iſta ſemper tuta ſunt.

Nitroſa optima remedia videntur eſſe ad tollendos ſpasmos, ut legitur apud Hoffmannum in tom. 2. iu capite de Haemorrhagiis narium.

Praeter Venae Sectionem, nitroſa omnibus aliis, ad nimium orgasmum compescendum & relaxandas etiam ſpaſticas partium ſtricturas palmam praeripiunt, olim jam ipſe Paracelſus nec non Hildamus hoc ſale tantum purificato, in omnibus haemorrhagiis cum fructu uſi ſunt & Riverius in praxi & obſervatiouibus ſuis, hujus remedii efficaciam in ſiſtendis fluxionibus ſanguineis non ſatis delaudare poteſt.

Camphora ut medicamentum antispasmoticum ab Hoffmanno in haemorrhagiis laudatur, praecipue ſi cum nitro misceatur, vel etiam ſi camphora cum oleo amygdalarum ſolvatur, ſed multae ſunt lites inter medicos an vi polleat refrigerante an calefaciente, ſed quia naturam ſpasmorum ignoramus, non determinare poſſumus, quanam qualitate praedita eſſe debeat,

ut

ut tollere possit spasmos, praeterea ignoramus an camphora habeat qualitates nobis incognitas, itaque nil superest quam ut ratiocinemur ex effectu quem videmus, sed quod sit medicamentum antispasmoticum legere potes B. L. apud Clar. Hauksham atque Clar. Winterus sanavit epilepsiam per Camphoram.

Spir. Corn. cervi cum oleo vitrioli Saturatus in actis Phys. med. tom. 7. obs. 15. haemorrhagias atroces cohibuisse legitur, quod hoc medicamentum sit optimum antispasmoticum multoties vidi in Collegio casuali Clar. Winteri, datis hominibus laborantibus epilepsia, convulsionibus & similibus morbis spasmoticis semper cum bono effectu, tutus videtur usus hujus, quia non adstringit sed refrigerat.

Ab Hoffmaano *Spir. Vitrioli* laudatur dilutus cum aquosis, etiam a Clar. Wille laudatur ad sanguinis effervescentiam sedandam in infusione.

℞. aq. hordei ℔ ij.
flor. Rosar. rubr. m. j.
sp. vitr. ad gratum acorem sive circiter ʒß.
fit infusio tepida ad tincturae extractionem adde
syr. de succo hyperici ℥ ij.
Dosis ℥ iij. *v.* iv. ad libitum saepius in die vel noctu.

Pro potu conveniunt *acida* ut *serum lactis lac ebutiratum*, *succus citri* cum aqua hordei, saepe acetum praestat bonum effectum mixtum cum aqua ut legitur apud Riverium in observat. pag. 471. testatur se curavisse haemorrhagiam *solo oxycrato* quod est aceti cum aqua mistio, vocatur etiam *pusca* vel *posca*, *emulsiones* ex seminibus iv. frig. majoribus & minoribus atque similibus etiam locum habere possunt.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Sed si haec omnia in cassum sunt adhibita, ad fortiora saepe confugiendum est, idest ad narcotica & adstringentia, ad huic scopo satisfaciendum a multis medicis laudatur *Pulvis stypticus Heurnii* constans ex adstringentibus & anodinis, atque praecipue in hoemoptoe a Laur. Heistero in compendio medic. laudatur, ita sese habet.

℞. Sem. Hyoscyami albi
— papav. albi ana ʒj.
Lapi haemat. ppt.
corall. rubr. ppt. ana ʒß.
camphorae ℈ß.
M

Detur subinde ad ℈j vel ʒß ex aqua simplici vel distillata aut julepo acidulo.

Sed, si adhuc magis fortiora requirantur, danda est *potiuncula adstringens Sylvii* paratur hoc modo.

℞. Aq. burs. pastoris ℥iij.
— equiset.
— plantaginis ana ℥ij.
— Cinnam. cydon. ℥j.
Corall. rubr. ppt.
lap. haematit. ana ʒj.
Syr. granator. ℥j.
Laud. opiat gr. j. vel ij.
M.

quavis dimidia hora, donec haemorrhagia remittat, cochlearia duo vel tria exhibeantur.

Adstringentia sunt multa ut *Lap. haemat. terra sigillata, bol. armen. terra catechu, crocus martis adstr. sang. dracon. corall. rubr. ppt.*, imo *alumen* ipsum atque ab Helvetio in libello gallico cujus titulus est *traité de pertes de sang* ut optimum specificum in morbis disperatissimis laudatur, sed in genere dicam de cautelis observandis in usu eorum.

Adſtringentia non ſunt adhibenda niſi in morbis deſperatisſimis, ubi omnia fruſtra ſunt tentata, quia nil faciunt quam claudere vaſa vi ſua adſtringente, itaque congeſtiones manent atque omnia mala quae ab opio ſunt ſpectanda, hinc etiam locum inveniunt & praeterea magis adhuc vaſa inepta reddunt ad agendum.

Si E. g. quis laboret narium haemorrhagia atque velim per adſtringentia curare & nil aliud faciam quam prohibere ut per vaſa naſalea fluere non poſſit ſanguis, congeſtio manet, ruit ſanguis verſus partes nobiliores, ſaepe ad pectus, ſed ſi quis nunc laboret hoemoptoe, an tunc conveniunt? minime, quia obſervatum eſt, quando in hoemoptoe adſtringentia ſunt adhibita, ſemper fere ſequi phthiſin, etiam in inmoderata menſtruatione adhibere non audeo, quia vaſa innepta reddo atque ſic tempore ſtatuto nulla excretio fit, itaque B. L. patet, uſum horum non in multis caſibus locum invenire, nunc dixi de medicamentis externis, atque internis ſub paroxysmo nunc dicendum reſtat, de curatione extra prroxysmum.

§. XXXIV.

1°. Si Haemorrhagia ſit coercita per opiata vel adſtringentia, abſtinendum eſt illico ab illo uſu, inſtituenda eſt venae ſectio, ſcopo revellendi atque haec ter quaterve in anno eſt repetenda pro ut circumſtantiae exigunt.

In genere cavendum eſt aegro ab omnibus animi affectionibus, in diaeta ab acribus aromaticis, ab nimio carnium uſu, a vino atque praecipue a generoſo ſpirituoſoque ſed ſi corpus admodum ſit debile, convenit tunc vinum moſellanum rhenanumve modo ſit in moderata quantitate hauſtum, motus corporis ſit moderatus, vectio in curru, equitatio, ſi moderate fiant, ſunt bonae, a frigore ſibi cavendum eſt, per frigus enim perſpiratio imminuitur, quia vaſa capillaria ſpasmotice contrahuntur atque ſicut ſanguis verſus interiora pellitur, ſic etiam curat aeger ut omnes excretiones naturales

bene procedant, praecipue alvus aperta ſervetur (nam a ſolo ſtipata alvo poſſunt oriri ingentes turbae atque ſpasmi) ſed hoc faciendum eſt per laxantia excoprotica ut ſunt *Caſſia fiſtula*, *tamar indorum*, *paſſulae majores*, *minoresque prunae*, *mel*, *manna*, *tartarus*, *cremor tartari* imo *Rhabarbarum* abſtinendum eſt a fortioribus, quia ſemper ſtimulando agunt, corpora haec nunc admodum ſunt ſenſilia, ideſt ploclivia in ſpasmos, ſi nunc haec corpora per fortiora purgantia adtingere velles, orirentur ſpasmi, inde congeſtiones.

Diaeta ſit victus blandus refrigerans ex oleribus, haec alimenta non admodum nutriunt corpora atque tamen ſatiatur homo, ſed ſi ſit phlegmaticus convenit melius jus carnium praeſertim pullorum aut gallinarum impregnatum ſucco citri, etiam juſcula ex avena, hordeo atque oryza parata ut & gelatina ex pedibus vitulinis, cornu cervi aut ebore confecta; ſed ad illam diſpoſitionem tollendam egregium effectum praeſtat lac in larga copia quotidie hauſtum, quod jam ab *Hoffmanno* eſt annotatum, dicit ſe cognoviſſe hominem qui laborabat profuſione ſanguinis ex pulmone, & qui ſolo lacte caprillo cum floribus papav. Rhaeados cocto, admixta dimidia aquae parte atque adjecta portione mellis, quotidie largius aſſumto, egregie reſtitutus eſt.

Aquae minerales etiam conducunt, praecipue ſunt ſelteranae, emſenſes, Windungenſes, ſpadanae & ſimiles praecipue ſi cum lacte miſceantur, ſed nocent aquae carolinae, pyrmontanae, egranae, ſedlicenſes, quia ſunt imbutae ſale copioſo acri & alcalino.

Cort. peruv. ad tollendam iſtam diſpoſitionem etiam laudatur ut videri poteſt in compendio Laur. Heiſteri in capite 8vo. par. 19. de hoemoptyſi ubi dicit.

Corticem peruv. cum pulvere abſorbente Wedelii, partibus aequalibus remixtum in hoc morbo tam curandi, quam praeſervandi gratia, valentiſſimum ac certiſſimum ſuaque experientia ſaepius confirmatum eſſe remedium, hoc ipſo, quo haec ſcribo die per litterasme certiorem fecit Doct. D. Wagnerus Lubeccenſis.

Quod

Quod vi roborante polleat, nemini incognitum erit atque quod roboret alio modo quam corroborantia in genere ideſt calefaciendo omnibus cognitum eſt, itaque patet quod optimum remedium eſſe debeat in haemorrhagiis, quia indicatio eſt vaſa roborari tamen non ſtimulari, praeterea videtur agere in ſolida atque reſtituere tonum naturalem vaſorum atque quod vim antispasmoticam poſſideat patet quia in omnibus morbis ſpasmoticis bonum effectum praeſtat, ſaepe vidi a Clar. Wintero in morbis ſpasmoticis adhiberi magno cum effectu, imo in epilepſia ipſa, quod etiam vidi a Clar. a Swieten practicatum; ſed ſemper reſpiciendum eſt, an non circumſtantiae adſint quae contrarium indicent. V. G. ſi obſtructione viscerum ſimul laborat aeger, non convenit, ſi tollenda ſit, tolli debet, atque uſus hujus corticis tunc convenit, ſed debet eſſe protractus, ſaepe purganda eſt alvus atque cavendum eſt aegro ab omnibus ante monitis.

TANTUM.

